

patris, quem populus Romanus ob id reum factum, quod insciente collega in censura non nihil egisset, post censuram iterum consulem fecit. *Comparabile* autem est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Ejus partes sunt tres: *imago*, *collatio*, *exemplum*. *Imago* est oratio demonstrans aut corporum, aut naturarum similitudinem. *Collatio* est oratio, rem cum re ex similitudine conferens. *Exemplum* est, quod rem auctoritate, aut casu alicujus hominis, aut negotii confirmat aut infirmat. Horum exempla et descriptiones in praceptoribus elocutionis cognoscuntur.

Partit. X. — In verisimilibus, et in propriis rerum notis posita est tota (*conjectura*). Sed appellemus docendi gratia verisimile, quod plerumque ita fiat: ut, adolescentiam proclivorem esse ad libidinem. Propriae autem notae argumentum, quod numquam aliter fit, certumque declarat, ut fumus ignem. Verisimilia reperiuntur ex partibus et quasi membris narrationis. Ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipsarum negotiorumque naturis. In personis naturae primum spectantur, valetudinis, figurae, virium, aetatis, marium, seminarum atque haec quidem in corpore: animi autem, aut quemadmodum affecti sint virtutibus, vitiis, artibus, inertiis, aut quemadmodum commoti cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque haec quidem in natura spectantur. In fortuna, genus, amicitiae, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, divitiae, libertas, et ea, quae sunt iis contraria. In locis autem et illa naturalia, maritimi an remoti a mari; plani an montuosi; laeves an asperi; salubres an pestilentes; opaci an aprici; et illa fortuita, culti an inculti; celebres an deserti; coaedificati an vasti; obscuri an rerum gestarum vestigiis nobilitati; consecrati an profani. In temporibus autem, praesentia et praeterita et futura cernuntur. In his ipsis, vetusta, et recentia, instantia, paullo post aut aliquando